



Politicorvm Libri Decem

Contzen, Adam

Colonia, [1621]

Cap. V. Causæ iustæ, ob quas bellum suscipi potest.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95437](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95437)

*rastrare-
gnorum ex
bello.*

illas fluminum confusas arboribus feracibus, cum desertis & incultis coram conspexi, & delubra elegantia, aurataq; funditus enersa. Desertum & incultum regnum vniuersum putres, & a nemine prorsus inhabitari; plateae ac praesertim, quae ad sana iter habent cranis cadaueribusque, tum fame, tum ferro domestico, dum in mutuas ruunt cades, tum etiam iussu Regio necatorum, & in profluentem, vix etiam cymbis minoribus ob cadauerum multitudinem nauigabilem abiectorum oppleta sordent vrbes, oppida, pagosq; cum incolis omnibus deleros hictaceo, vt nulli hoc ynquam extitisse credatur tyranni immemor. Eadem fortuna fuit regni Martianij florentissimi, quod per Sionios etiam ad vastitatem redactum, vti idem Theophrastus testatur. Rex secum triginta millia retinebat, ducenta millia per montes & sylvas metu mortis Atroniti vagabantur, omnis ager incultus & horridus erat Anno 1599. Tot malorum causam dedit, qui belli iniusti consilium dedit. Omnes igitur animae ab ejus animâ repetentur, quae perierunt, eidemq; scelera militum, qui eas peremerunt, imputabuntur.

*Iniustitia
belli consi-
deranda.*

§. 2. Causae bellorum magna cura ponderandae sunt, vt prima quaestio sit, Iustene bellum appareatur, altera, an majus ex bello iusto commodum, quam ex pace iniqua haberi possit? Prima per Theologos & Jurisconsultos decidi potest; altera vique ad fructum victoriâ incerta manet. Athenienses de belli iustitiâ Philosophos audire, & Oratores consueuerunt. Si autem iniuste bellum suscipitur, quamuis victoria consequatur, felix tamen diu esse non potest victor improbus.

ὁ δὲ τὸν ἀδικῶν πολεμῶν οὐκ ἔστιν ἀγαθός.

Nemo belligerans iniuste saluus redit.

*Iniqua vi-
ctoria bre-
uis est.*

Aliquando ad tempus iniquitas praevalet, sed tandem grauius punitur; multa iniuste suscepit, impotenter, superbeq; gessit bella Alexander, verum ipse cum matre, vxoribus, liberis, tota familia poenas luit, quod factum non esset, si in Macedonia sua resedisset, & milites, ac centuriones ad tantam potentiam non exuisset.

Magnam verò esse diligentiam in disceptatione necessariam, vt constet belli iustitia, ipsa rerum magnitudo declarat; iudex enim sedet in grauissima causa, quae integri regni fortunas, vitamq; multorum vno discrimine inuoluit.

*In iustitia bel-
li serio con-
sideranda
est.*

Regula iuris est, eaque legitima. Probationes in criminalibus luce meridiana oportere clariores esse: dubia enim causa, certa morte occumbere reum nulla aequitas patitur, quomodo igitur tot millia conciduntur, nec liquet, quis iniustus induat arma? Iudex non nisi probata sequi debet, & non nisi de quibus liquet iudicare, i. illicitas. §. veritas de officio praesidis. Hoc si priuato reo seruatur, vbi de hereditate, & agellis; aut sanè vnus vili capite agitur, quâ in magnis faciendum, integrisq; populis censuimus? Quod si aequè valent causae pro aduersarijs & contra eos, iam bellum suscipiendum est, aut accuratius inquirendum seruandumque; quod monet in syntag. Tholosanus lib. 48. cap. 9. §. 14. Quare si aequè probant reus & actor, & testes & alia probationes sint equipollentes, in dubium redit res, & in primum statum, vnde reus absoluitur: nisi fauorabilior causam actor foueat. Pro rebus enim fauorabilibus, in dubiis iudicandum est: vt pro libertate, in causa inofficiosi testamenti, pro matrimonio, pro dote. In causis tamen criminalibus raro concursus probationum accidit, in quibus reus ad probandum negatiuam non admittitur, quamdiu potest actor seu accusator probare. Non enim contra probationes inducitur probatio Canonica. Obseruatur tamen, vt si dum auditur reus in crimine, aliqua vt dicunt facta, vel casus attenuantes vel restringentes delicti qualitatem allegauerit, fiat de iis seorsim extraxis probatio. Fit & ex officio iudicis, quando dubia vtriusq; probatio est, inquisitio noua, vt de veritate habeatur certa notio.

*In dubio
reus absol-
uitur.*

Multo maior indagatio belligerato conuenit; neque enim valet hoc loco leuis, & perfunctoria cogitatio, non enim error nisi difficilis excusat auctorem. Non solum autem per suos Consiliarios, sed per Academias, alios amicos, Principesque rem examinabit. Et si partium iura sint obscura, faciendum est reo, non actori.

§. 3. Si alicui Principi aut Reipublicae bellum indicitur, causam perpendere oportet; quod si aduersarius iustam causam obtinet, illi satisfaciendum est, lum infert, si omni diligentia adhibita manet causa dubia, offerre se ad exquisitiorem discussionem potest, si bello peratur, defendere se potest; non enim quia dubium jus habet, ideo dimittere illud tenetur. Deinde q dubio iure bellum infert, injuriam facit, deoq; iam iustum bellum gerit ille, q ante dubiam causam tuebatur.

§. 4. Hic quoque manet ea ratio; In dubio meliorem esse causam possidentis. Hoc enim in omni causa valet. At maximè in causa criminali, de capite enim sententia non fertur ex obscuris; at qui bellum indicit, jam de capite iudicauit. Neque hic plus iuris est Principibus in Principes, q subditis in subditos.

§. 5. Potest tamen ille, qui non possidet, iudicem postulare, ac iure petere, vt quoniam causa vtriusq; dubia est, communiter iudicetur, & alteri, qui non possidet, pars detur, aut si res diuidi non possit, compensatio, id verò locum habet, si verisimilior sit causa non possidentis, jam n. pares non sunt, ideo nec melior conditio possidentis. Nec ju⁹ probabilius dimittere tenetur ille, q non possidet, alioqui si tenuissimam dubitationem haberet possidens, p⁹abilissimâ alter, nihil agere posset, quod iniquum est. Quod si eâ in causâ, nihil dare possessor velit, injuriam facit, ideoque bello peti ab aduersario potest.

*In dissimili
dubio, non
est melior
causa possi-
dentis.*

§. 6. Nec milites, praesertim Tribunos & Centuriones aliquâ inquisitione recti, & aequi excipio. Si enim bellum est manifeste iustum, militare omnes possunt; si iniustitia clara est, nemo nomen militiae dare potest. Si dubia est causa, milites qui subditi sunt, stipendijsque certis addicti, vasalli, castra dubia sequi possunt. Ita S. Augustinus lib. 22. cap. 75. contra Faustum. Si enim vir iustus forte sub Rege sacrilego militet, bene potest illo iubente bellare, cui quod iubetur, vel non esse contra Dei praeceptum certum est, vel vtrum sit certum non est, ita vt fortasse reum faciat Regem iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ordo seruitutis. Milites enim cum exequantur sententiam iudicis, tutiorem partem eligunt, cum sui Principis sententiam sequuntur. Denique tenentur sequi Principem milites, detrectando enim Sacramentum vires hostibus adderent; & Rempublicam proderent; at sanè in dubio patriae potius quam inimicis fauere oportet. Deniq; moris non est inconditam multitudinem ad iudicium causae aduocare. Alia ratio ducum est, qui, cum vt consiliarij aduocantur, serio de iustitia iudicare coguntur. Quod si militibus, & vasallis constet Principem de iustitia causae dubitare, militiae nomen dare non debent, quia sciunt bellum iniustum esse. Iniustum est enim de alterius vita iudicare, cum est causa dubia.

*Miles de
causa sui
Principis
non iudi-
cat.*

§. 7. Milites qui subditi non sunt, dubia causâ militare non possunt. Quia bellum ad eos non pertinet, & sponte rei dubiae immiscere se non possunt. Deinde sine vlla necessitate exponunt se periculo injuriam inferendi alteri Principi. at cessando piculum illud evitant, ordinariè tamen bonae conscientiae milites hic non delinquant. Nam qui bella gerunt causas speciosissimas praetendunt, quae planè necessariae videantur, deinde cum Rex aut Princeps boni nominis est, merito praesumunt, eum iniusta bella non suscipere, causam accuratè examinasse, a prudentibus eam & integris viris comprobata esse.

Rrr 3

Ca-